

Johann Ernst Schaper

**Rector Universitatis Rostochiensis, Johannes Ernestus Schaper, Medicinæ Doctor ... Ad Solemnissimas Merito Exeqvias Qvas ... Domino Henr. Christiano Thielke Juris Utriusq[ue] Et Philosophiæ Doctori ... Vidua Moestissima, Omnes Omnium Ordinum Cives Academicos Officiose Et Peramanter Invitat : [P. P. Sub Sigillo Rectorali ad XXVI. Octobr. Ann. restitutæ per Christum salutis MDCCXI.]**

Rostochii: Wepplingius, [1711]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn774703032>


Druck Freier  Zugang




**Schaper, J. E.,**

in H. C. Thielke. *Thielke*

**Rostoch. (1711.)**







RECTOR

UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS;

JOHANNES ERNE-  
STUS SCHAPER,

MEDICINÆ DOCTOR EJUSDEMq; PROF. ORD. DUCAL  
FACULTATIS SUE SENIOR, SERENISSIMI DUCIS MECKLEN-  
BURGENSIUM REGENTIS CONSILIARIUS AULI-  
CUS ET ARCHIATER,

AD

SOLEMNISSIMAS MERITO EXEQVIAS

<sup>QVAS</sup>  
PRÆNOBILISSIMO, CONSULTISSIMO, AM-  
PLISSIMO ET EXCELLENTISSIMO VIRO

DOMINO

HENR. CHRIS-  
TIANO THIELKE

JURIS UTRIQ; ET PHILOSOPHIÆ DOCTORI CE-  
LEBERRIMO, SS. THEOL. CANDIDATO DIGNISSIMO,  
ELOQVENTIÆ PROFESSORI DUCALI MERITISSIMO,  
COLLEGÆ QVONDAM HONORATISSIMO,  
HODIERNO DIE CHRISTIANO EX MORE PARAT ET ILLUSTRIS  
ORDINIS ACADEMICI FREQVENTIA CONSPECIORES  
REDDI DESIDERAT,

LECTISSIMA VIRTUTIBUSq; SUI SEXUS LAUDATISSIMA CONJUX,  
NUNC VIDUA MOESTISSIMA,

OMNES OMNIUM ORDINUM CIVES ACADEMICOS  
OFFICIOSE ET PERAMANTER INVITAT

ROSTOCHII,

TYPIS JO. WEPPLINGII, SERENISS. PRINC. ET ACAD. TYPOGR.



**Vi animum appellunt**  
ad studium Jurisprudentiæ, in Ec-  
clesia, Politia, Academia, maxime  
necessariæ & salutari, duobus, iis-  
que diversis plane itineribus, vel  
ipsamet experientia teste, incedere  
in ejusdem curriculo pro genii in-  
geniiq; diversitate delectantur. Si-

mulatam etenim, minus veram, alii affectant Jurispru-  
dentiam, qui Grammaticæ atqve Rhetorum præceptis  
utcuqve tincti, mox leviter gustatis Geographiæ & Hi-  
storiæ principiis, cæteris Philosophiæ partibus, usibus Ju-  
ridicis instructis, vix a limine salutatis, nec intellectis ex  
asse Legum Civilium ponderosis fundamentis, Jeario  
prorsus ausu Jurisprudentiæ cælo sese credere haud eru-  
bescunt, inania, ex judicio *Sandarini*, magni quondam  
Mediolanensium Jcti, fori tintinnabula, nonnisi in Sapien-  
tiæ civilis incommodum & serendis ex litelitibus nata  
factaqve. Veram contra alii & minus simulatam  
complectuntur Jurisprudentiam, qui politiori literatura  
& Philosophiæ sacris probe imbuti, Juris Civilis studium  
ad altiora & superiora principia revocant, neque  
vel Ulpiano, vel Paulo, vel Papiniano, vel ipsi de-  
nique Justiniano, tam cæco assensu blandiuntur, ut  
non identidem ad naturalia recurrant præcepta, ipsos-  
que adeo fontes invisant limpidißimos, è quibus am-  
plissima illa Juris Civilis flumina dimanaverint. Im-  
mò vero haud rectius, haud feliciter, cum perorandis, tum  
dijudicandis causis præesse se posse existimant, quam si so-  
lidiori utiliori; Philosophiæ, tam theoreticæ quam practi-  
cæ cum primis apparatus succincti, quid justum, quid utile  
Rei publicæ pariter ac privatæ sit, ubi vis dispicere stude-  
ant verasq; juris & æqui causas ac fundamenta ad ungvè  
tenere. Sane in hoc ipso genuinæ Jurisprudentiæ sta-  
dio,

dio, eoque laude dignissimo & utilitate gravissimo, æterna jampridem elogiorum præmia meruerunt, ex antiquis, *Andreas Krebsius*, ex recentioribus, *Johannes Brandesius*, ex recentissimis, *Christianus Weidlingius*, alique quam plurimi, qui nobilissimum illud Juris Civilis studium partim cum elegantioribus Musis & antiquitatum necessariorum peritia, partim cum omnigena, inprimis vera juris æterni Philosophia, connubio longe auspiciousissimo maritarunt, non tantum in præstantissimis de *Cognitione Philosophiæ & Jurisprudentiæ* dictorum factorumque exemplis, sed & solertissimis ingenii & studii monumentis; Genuinis his ac gravibus, pro præsentis, quo defungor, scriptiois genere, tribus saltem verbis insinuatis justitiæ Mystagogis, meritissimo jure accensendus est etiam, cujus funus indicendum nunc eheu! magno cum luctu venit, Consultissimus Juris-Consultus, Excellentissimus Philosophus & Prænobilissimus Orator, HENRICUS CHRISTIANUS THIELKE, Juris Utriusq; & Philosophiæ Doctor Celeberrimus, S. S. Theol. Candid. Dignissimus, Eloquentiæ Prof. Duc. longe Meritissimus, Fautor Æstimatissimus, Collega Honoratissimus, qui eruditione sua, dum viveret, & Theologica, & Juridica, & Philosophica, & Philologica, documentum præbuit luculentissimum, quantum adjumenti juxta ac ornamenti Juridicæ subministraret sacrarum humaniorumqve literarum & fanioris Philosophiæ amœnissimus æque ac accuratissimus cultus. Deberem hic ex officio, quod adhuc sustineo, Magnifico, longum texere ordinem querelarum de obitu Excellentissimi hujus nostri Jcti & Philosophi, quippe qui luctuosus omnino accidit, nec defunctoria plaga affecisse videtur Academiam nostram, nisi persuasum mihi plane haberem, nihil me proficere misero illo ac tristi, multum vero usitato illo & fructuoso officii genere, quo ea, quæ fieri potest per interrupta subinde negotia, diligentia, exponam de vita beatè defuncti quæ mihi fuere suppeditata, quæque aliis plura & excellentia



possunt suppeditare momenta, ad instituendā recte vitam,  
& veræ eruditionis decus ac gloriam comparandam con-  
ducentia. Et quamvis absq; omni pigmentorum ambage  
atq; alienæ laudis mixtura simplicem adornare debeo ex-  
positionem, & ad eum, de quo sermo est faciendus, undiq;  
properare, nullo tamen brevitatis studio adduci possum,  
quin, observato narrandi ordine, à *Beati Nostri* cunabu-  
lis & stirpe exordiar telam, in morte & obitu eam de-  
positurus. Annus agebatur secula inter labentia deci-  
mi septimi quinquagesimus nonus, inque eodem ipse  
Bartholomæi dies exortus erat, cum nasceretur *Beatus*  
*Noster* in Feudo *Rederanck*, prope Rostochium sito,  
Patrem sortitus Virum Nobilissimum & Prudentissi-  
mum, JOHANNEM THIELKE, dicti jam nobilis feu-  
di Hypothecarium, Viri Nobilissimi, JOHANNIS THIEL-  
KE, ærarii quondam Mecklenb: Præfecti Dexterrimi &  
Fœminæ sui sexus virtutibus ornatissimæ, SARÆ NET-  
TELBLATTES Filium, JACOBI NETTELBLATTS,  
Civis & Ædis Jacobææ hic olim Provisoris ac Sede-  
cemviri Meritissimi Nepotem; Matrem, Fœminam  
omnibus sui sexus virtutibus condecoratissimam, MAR-  
GARETHAM HAHNEN, Generosi quondam Viri, JO-  
ACHIMI HAHNII, in *Detes* & *Hanshagen*, quæ feuda  
sunt Mecklenburgica & Hæreditarii feudi Ingermaniae  
Ostrogi, nec non Nobilissimæ ac Virtuosissimæ ELI-  
SABETHÆ CAMERARIÆ, Filiam, Consultissimi HEN-  
RICI CAMERARII, J. U. D. ejusque Prof. Rost. & Sere-  
nissimorum Ducum Luneburgi & Pomeraniæ quondam  
Consiliarii, Neptem. Elementa Latinæ Linguæ in alma  
hac Rosarum urbe, Fratris germani natuque majoris,  
Viri Prænobilissimi, Consultissimi, Amplissimi, JO-  
HANNIS JOACHIMI THIELKII, J. U. D. Celeberrimi,  
& Civitatis hujus Consulis ac Syndici primarii hodie  
Spectati ssimi, informationi fideli refert accepta, sicut re-  
liqua profectuum ad fundamenta literarum pertinentium  
subsidia, variis, quos in annis subsequenibus nactus est,  
studio-

studiorum suorum Ephoris, & eos inter Viro quondam  
Admodum Reverendo, Amplissimo atque Doctissimo,  
ANDREÆ DANIELI HABICHORSTIO, S.S. Theol.  
tum Licent. & Orat. Prof. Duc. Ord. postea S. S. Theol.  
Dejusque Prof. Duc. Ord. Ab Ephoris his Rostochiensibus  
delatus est occasione sic ferente ad Rectorem Scholæ Mal-  
chinensis dexterrimum pariter ac eruditissimum, JO-  
HANNEM FABRICIUM, Dargunensis dehinc Ec-  
clesiæ Pastorem, nec non Circuli Dargunensium Ecce-  
siastici Præpositum Vigilantissimum, cujus sub auspicio  
studia, quæ vulgari nomine appellamus humaniora  
non tantum diligenter continuavit, sed & feliciter ab-  
solvit. Anno MDCLXXVII. Albo Studiosorum Rostochien-  
sium nomen suum inscribendum curavit & aliquam-  
diu apud eosdem moratus ad jacienda altiorum discipli-  
narum fundamenta, ea, qua par fuit, attentione obser-  
vavit, in Theologicis, Doctores Maxime Reverendos & Ex-  
cellentissimos, VARENIUM & COBABUM, Theologos  
profunda eruditione undiquaque Celebratissimos: in Ju-  
ridicis, quorum amore etiam ducebatur singulari, Fra-  
trem germanum Juris Civilis scientia foridum: in Philo-  
sophicis, *Joachimum Krisovium*, primo Philosophiæ Magi-  
strum fulgidissimum, dein Pastorem apud Grimmen-  
ses in Pomerania citeriore & Præpositum Religiosissi-  
mum: in Philologicis, & quidem in Hebraicis, *Michaelem  
Balderum*, Philologum isto tempore doctrina pariter ac  
fama maxime conspicuum. Jactis ita in Rosa Varniaca  
præstantissimarum quarumvis scientiarum fundamentis,  
anno MDCLXXIIIX. ad Wittenbergensem profectus A-  
cademiam, firmanenta studiorum suorum laudabili ha-  
ctenus ratione positorum & quæsivit ibidem & largiter  
invenit, non tantum in prælectionibus Theologorum  
æque ac Philosophorum Consummatorum, tam publi-  
cis quam privatis, iisque longe saluberrimis, incrementa  
capiendo exoptatissima, sed & in Acroaterio Philologo-  
rum Gymnastico Disputationem quandam Philologicam

scrutinio Eruditorum submittendo, imò & in laurifera  
Philosophorum Panegyri summos in Philosophia hono-  
res una cum privilegiis decenter expetendo, eosque De-  
cano & Brabeuta, Maxime Rev. & Excellentissimo  
MICHAELE WALTHERO, tum Mathes. postea  
S.S. Theol. D. & Prof. anno MDCLXXIX. d. 14.  
Octobr. ad votum & ex merito obtinendo. Fir-  
mamentis studiorum intra biennii spatium in Illustri ad  
Albim Academia hac ratione probe consolidatis, anno  
MDCLXXX. ad sedem Musarum Rostochiensem rever-  
sus, majora sibi quotidiano exercitio acquisivit eruditio-  
nis omnigenæ præsidia, partim prælectionibus privatis,  
iisque tum Pantosophicis, ad usum in Theologia & Juris-  
prudencia salutarem compositis, tum Philologicis, su-  
premis his quoque scientiis egregie inservientibus, tum  
Homileticis, Theologiæ, ut appellari solet, Propheticæ  
Cultorum desiderijs apprime consecratis: partim disputa-  
tionibus publicis, in Cathedra Philosophica Præsidente  
sæpius ventilatis & quidem de argumento Philoso-  
phico, utpote, de *Causa Morali*, de *Conceptu  
Summi Numinis contrahente*, de *Osculo libertatis & arbitrii*,  
de *obligatione ex delictis*, *Thesum ex Philosophia selectarum  
Dodecade*, *Oratoria definitione*, *Majestate*, *Duellis*. Factum est  
quotidianis his prælectionum & frequentibus Disputati-  
onum Exercitamentis, ut *Beatus Nosser* viam sibi pa-  
raret facillimam rectissimamque adeundi validissima-  
summarum disciplinarum (quarum amore etiam tene-  
batur satis honesto) munimenta pariter ac ornamenta,  
Theologiam puta ac Jurisprudentiam, adeoque auditis,  
ut supra insinuavimus, juris genuini principiis & abso-  
lutis institutionibus Justinianeis, reliqua Jctorum placi-  
ta, præcipue vero Civilia, flagranti perlustraret cupidita-  
te, atque ut eo clarius de thesum veritate sibi constaret,  
non raro amicas etiam, quas habere poterat, collatio-  
nes institueret, quinimo fructuosissima per quadrienni-  
um in hoc studiorum genere uteretur informatione.

Ex-

Excellentissimi isto tempore Jcti, Viri Prænobilissimi,  
Amplissimi, Consultissimi, Dn. CHRISTOPHORI REDE-  
CKERI, Codicis primum Prof. Publ. Ord. & Confist.  
Assessoris Gravissimi, deinde Civitatis hujus inclytæ Con-  
sulis optime Meriti, ejusdemque sub Præsidio specimen  
exhiberet elegantissimorum suorum in scientia Juris  
profectuum, Disputatione Juridica *de Juris Civilis fictione*  
anno MDCXCI. d. 5. Sept. Rost. hab: & ab oppositum  
impugnationibus feliciter vindicata. Constituerat qui-  
dem seposito per omnia Theologiæ, Juris unice se præ-  
munire propugnaculo, sed internum conscientia propo-  
sito huic reluctantis dictamen persentiscens, conjunctio-  
nem utriusque non sine bene cupientium consilio, ea  
quidem conditione decrevit, ut primis quidem curis in-  
vigilaret Jurisprudentiæ, secundis tamen à Theologia &  
reliquis disciplinis non penitus recederet, antequam ve-  
rò præcipua cultura Juridicæ se addiceret, Venerandæ  
Theologorum Facultati nomen professus examen subire  
vellet Theologicum, atque eo ipso, ut hætenus Jctis &  
Philosophis variis fecerit documentis, studia sua sacra &  
Ecclesiastica Præsulibus Summe Reverendis probare.  
Ad examen deinde quam lubentissime admissus quidem  
est Theologicum, postquam sacrarum quoque profectu-  
um promissum ad nutum specimen promptissime exsolvit,  
ex præscripto Vener. Ord. Theol. argumentum illud per-  
eximium, *de functionis Ecclesiastica & Politica Combinatione*,  
summa, quâ fieri potuit, accuratione elaboravit & Præsi-  
de Summe Reverendo, Amplissimo & Excellentissimo  
DN. D. JUSTO CHRISTOPHORO SCHOMERO,  
immortalis nominis & eruditionis Theologo, Decano t. t.  
Maxime spectabili, publico privatoque cum auditorum  
applausu Anno MDCXCI, d. 14. Octobr. defendit; exa-  
mine tamen post Disputationem illam feliciter exantlato,  
potestatem habendi Disputationem pro Licentia non desi-  
deravit, sed honores tantum ambiit in Utroque Jure sum-  
mos, atque huic in finem sequenti etiam an. MDCXCII.  
examen

examen Juridicum, quod vocare solent rigorosum, Decano supra laudato eodemque longe spectatissimo, Domino D. CHRISTOPHORO REDECKERO, exoptatissimum in modum sustinuit. Commoverunt omnia hæc & singula hæctenus recensita Laborum Academicorum conamina & inusitata in omni fere scientiarum genere monumenta, Illustre Sverinensium Regimen Serenissimi Mecklenburgensium Ducis gloriosissimæ memoriæ CHRISTIANI LUDOVICI apud Gallos eoipso temporis articulo commorantis, ut vacantem tunc in Academia hac Mecklenburgica Oratoriæ Professionem Ducalem benignissime *Beato nostro* conferret, quam prævia Oratione Inaugurali d. 2. Jun. anno MDCXCII. auspiciatus est & quam anno sequenti MDCXCIII. d. 9. Nov. majori exornavit splendore, gradu scilicet Doctoris in Utroque Jure Prænobilissimo, quem data comoda occasione non quidem in hac Varniaca, in vicina tamen Universitate Gryphica, Decano t. t. Spectatissimo, Viro Prænobilissimo, Excellentissimo, Consultissimo, *Alexandro Caroc*, J. U. D. Celeberrimo & Pand. Prof. Ord. Regio assumpsit, cum prius & ibi ex abundanti examen Excell. Facult. Jurid. subiisset, lectiones cursorias super L. i. ff. de nuptiis habuisset ipsamque Disputationem pro licentia *de causis mitigantibus penas in delictis cum primis matrimonialibus* Præside Decano jam laudato defendisset. Officio sic sublevatus ordinario eoque Academico, supremisq; in Utroque Jure condecoratus honoribus, connubio sibi junxit stabili & propriam dicavit eodem adhuc anno die V. Decembris Nobilissimam omnibusque Virginearum virtutum ornamentis Eminentissimam Virginem, CATHARINAM DOROTHEAM GIESENIAM, Filiam natu majorem eamque multo Suavissimam Viri Prænobilissimi, Amplissimi, Consultissimi CHRISTIANI GIESENI, Consulis quondam Parchimensium longe Meritissimi, Dicafteriique Mecklenburgici Assessoris Extraordinarii ejusque Gravissimi, Viri Prænobilis

ac Prudentissimi, DAVID GIESE, Senatoris quondam  
Parchimensium Fidelissimi, Nobilissimæ item genere  
virtuteque omnigena Splendidissimæ DOROTHEÆ  
SHULTZIÆ, Prænobilissimi quondam & Am-  
plissimi SCHULTZII, Consulis Parchimensium Provi-  
dentissimi, Filii Ornatissimi, Dilectissimi; nec non  
Nobilissimæ omnibusque mulierum decoribus Fulgidissi-  
mæ, ANNÆ NIEFRIND, Viri Prænobilis & Prudentis-  
simi ANTONII NIEFRIND, Senatoris quondam Parchi-  
mensium Dexterrimi & Scitissimæ Virtuofissimæque  
CATHARINÆ THESSIN, Mercatoris quondam Parchi-  
mensium Integerrimi, Dilectissimæ Filia. Quamvis au-  
tem, Deo ita disponente non fulceperit *Beatus Noster*, è Con-  
jugio hoc alias felicissimo, quæ comitari illud & jucundum  
reddere solent, pignora dulcissima, & genus & nomen ad  
posterorū propagantia, conjugalis tamen amoris vinculum  
ita constans retinuit ac nulla ex parte unquam interrup-  
tum, ut omnes in eodem thesauro suos positos arbitra-  
retur, nec quicquam eodem præstantius in rebus huma-  
nis se possidere statueret, Cimelium æstimans cum Sancto  
illo *Elkana* vel decem Filiis pretiosius levamentum Conjugis  
exoptatissimum, optimas item cum *Graco* illò *Comico* exi-  
stimans divitias, si quis egregiam & prudentem nactus es-  
set conjugem, quæ curas graviores leniât, sollicitudines  
molestas componat, asseratque gaudium nunquam desitu-  
rum. Quantâ de cæterò pietate, quantâ integritate,  
quantâ diligentia, quantâ solertia, quantâ constantia, offi-  
cium, quod ante commemoravimus Academicum, admi-  
nistraverit *Beatus Noster*, testimonia comprobant abundantis-  
sima, omnibus Vobis ac singulis, *Cives omnium Ordinum*  
*Honoratissimi*, recentissimâ adhuc memoriâ obversantia; Di-  
sputationum puto & prælectionum Academicarum, pro eâ,  
quæ nobis occurrit, notitiâ, superius enarratarum, exer-  
citia prænobilissima: Orationum, præmissarumque iis-  
dem dissertationum, quibus Augustum SERENISSIMI

)(

*Nostri*

*Nostri ac POTENTISSIMI PATRIS PATRIÆ Natalem, humillimum splendidissimumque in modum celebravit, monumenta, quoad orationes, manuscripta, quoad dissertationes, typis impressa, eaque curato studio elaborata: Promotionum Philosophicarum, in Ecclesiarum & Scholarum subsidium frequentissimè transactionum solemnissima præcellentissima: Magnifica deniqve Rectoratus & Spectatissima Decanatus Academici officia, Rectoratus quidem duabus, Decanatus tamen pluribus vicibus, in salutem & honorem tam Illustris hujus Academiæ, quam Amplissimæ Facultatis Philosophicæ, auspiciatissimè permutata.*

*Extrema BEATI NOSTRI quod attinet & in specie morbum ejus difficillimum, ultra mensem jam est, ubi febre continua lenta cum exacerbationis periodo erratica recurrente corripiebatur, cui capitis dolores alias ipsi frequentes & fere consueti jam magis intensi jungebantur. Huic morbo & ipsi junctis symptomatibus etiam cum successu occurrebatur ex meo consilio remediis & optimis & necessariis, ut non tantum remissionis notabilis intervalla intercederent, sed & in intermittentem mutari videretur. Ast cum inconstanti constantia id fieret, iterumq, ad pristinam recurreret indolem, metum non leve de infelici morbi eventu excitabat. Hoc non obstante omni sedulitate & curâ pertinaci huic febre, vires Egri sensim depascenti, ibatur obviam, & eveniret, ut ego ad agram quandam ab Urbe nostra ad aliquot milliaria reperibilem evocarer, cujus cura subducere me non poteram, interim autem consuetâ suâ exacerbatione se manifestans febris novis præcordiorum anxietatibus Egri angere, me absente quoq, vocabant consilia Viri Prænobilissimi, Amplissimi, & Experientissimi, HABERMANNI, Medicinae Doctoris & Professoris ac Poliatri Celeberrimi, Amici, Fautoris ac Collegæ mei Honoratissimi, qui non tantum me absente omnem adhibuit in medendo diligentiam sed & sub meo è urbe reditu communicatis consiliis curam Egri Nostri suscipientes, necessariâ in medendo diligentia instituit. Et quanquam ab adhibitis optimis medicaminibus febris exacerbatio erratica quiescem, ast simul pertinax, debilitari videretur, non tamen ejus tuta fides erat, sed tarditatem brevem gravitate compensabat longiori, eaq, tali, ut continua huic lenta febre continuata subita & notabilis partium atrophia & faciei ad hippocraticam faciem festinans similitudo jungeretur, quam sic brevi mors excipiebat, secuta die 16. Octobr. inter preces & suspiria adstantium. Quanto luctu & quantâ animi tristitiâ Dilectissima sua Conjugis prohi, nunc Vidua, ea facta sit, & mihi & Cognatis, adstantibusq, aliis Amicis sat cognitum. Nec mirum, cum singulari animorum concordia unitum conjugium non sine acerbis animorum*

rum

rum doloribus dissolvi poterat. Hinc tantò durius quidem jam Viduæ Mœstissimæ præsens divortium est, & dum sui Domini acerbissimâ jacturâ jam maectatur, facillè judicatu est, quam miserè ipsi abeat tempus, dum cogitationibus mœstis, suspiriis numerosis & querelis continuis teritur, ubi lachrymarum prandia & cœnæ & cubile singultuum se mutuo excipiunt; hinc nullus dubito, quin Mœstissima cuperet diem illum nunquam candidum mortalibus oriri, quo sua lux, sua vita, suum solatium occidit. Ast quò versus fieret mœror? Et, quò abirent ex mœrore enata desideria Mœstissimæ? Si quidem hisce omnibus fata non flectuntur, nec possunt mutari, & si accusentur, non nisi id obtinetur, quod ex mortalibus nihil immortale & in conjugio nascatur, & quod aliter copula nectatur conjugalis, & aliter solvatur, dum illud duorum, hoc singulorum est. Cogitandum hinc potius est à Mœstissimâ, quod nos omnes sumus Dei depositum & quod Creator peculium suum repetat, cum libet. Atque sic cum mortis necessitas vitæ nostræ conditio & terminus vel in conjugio sit, Dei voluntati non est obluetandum, cui sic quoque mœstissima nostra se subjiciet cum patientiâ & divinæ providentiæ, ac ejusdem vel in summâ severitate (si ita vocari posset,) uberrimæ misericordiæ acquiescet, optime gnara, quod a Beato Marito communi Viduarum Patrono, qui ab initio mundi Viduis dedit patrocini sui certitudinem, quiq; tam clementer in verbo suo de eodem sese explicuit, non tantum commendata sit, sed & quod Beatus Maritus jam secundum animam Deo Creatore suo & Christo Servatore propius fruatur. Hæc solatia, quæ Mœstissimæ Viduæ sufficio, dabunt, ut fractû mœroris & gemitu frequenti nimis deductum Pectus validissime sibi munire possit, & munimentis circumire animum, ne dolor acerbus excessivus fiat, nec figat domiciliun Summo Numini exosum. Hoc morbi hæctenus descripti, hoc mortis hucusq; cum solatio deductæ genere abiit THIELKIUS Noster Excellentissimus, digressus è vitâ illâ, quæ nacti in breve tempus  
Spiri-




Spiritum sumus homines, ac in momenta pene singulari red-  
dendum: solutus est compage illa fragili ac imbecilli, quâ  
cœlo derivata mens continetur velut vinculis clausa: libe-  
ratûs est morbis, & casibus aliis innumeris, quos nullæ cau-  
tionum formulæ possunt elidere, nullæq; artes excipiendi;  
subductus est semel & semper necessitati, quam non licet  
comprehendere, qua non licet detrectare forum, non pro-  
vocare ad iudicem alium: exemptus est statione illa, cuius sub  
terminum omnes jacent machinæ, nec quicquam superest,  
quam ut colligamus vasa & abeamus, quo Fatum, cum ve-  
nerit, vocat: excessit & tradidit vitam sicut acceperat, neq;  
nunc quicquam eorum aut videt aut patitur, quæ nos quo-  
tidie miseros atq; exercitos habent. Cum igitur *Viri hujus  
Excellentissimi* reliquæ efferendæ sint hodierno die in Tem-  
plum Parochiale, & ad illud ipsum comitatu funebri dedu-  
cendæ, ut sepeliantur ibi more christiano, Vestrum est,  
*Cives Academiæ Omnium Ordinum Honoratissimi*, exequiarum  
officio prolixè decenterqve Vos fungi, ac allegare Deo cas-  
tas preces, ut avertat Clementer tristiora omina, sistat-  
que clades imminentes, ne everfis fortunis Patriæ & vasti-  
tate latè agris invecata, bona quævis & salutaria studia de-  
ploratissimum in modum aut interturbentur, aut plane ple-  
neqve deleantur ac suffocentur. Magnus profecto ex  
prompto hoc Vestro & benigno officio in defunctum beate  
& bene de Academiâ meritum redundabit honor, magnum  
in Afflictissimam Viduam cœterosque tam Consanguini-  
tate, quam Affinitate Conjunctos solatium, magnum de-  
nique mutui Vobis amoris monumenta exhibendi studi-  
um, quo diligentissimam navabunt operam, ut omnia, quæ  
proficisci ab illis poterunt, humanitatis sublevamenta, pa-  
rata Vobis maneant omni occasione & voluntate ad mini-  
mum dicata, quæ vel sola apud Sapientes ad ex-  
pungenda beneficia solet sufficere.

*P. P. Sub Sigillo RECTORALI ad XXVI. Octobr.  
Ann. restituta per Christum salutis MDCCXI.*

Conventus fiet in Aede Jacobæâ hora I. pom.

es(o)ro









*Nostri ac POTENTISSIMI PATRIS PA*  
lem, humillimum splendidissimumque in m  
vit, monumenta, quoad orationes, manuscript  
tationes, typis impressa, eaque curato studio e  
motionum Philosophicarum, in Ecclesiarum  
subsidiu[m] frequentissimè transactarum  
cellentissima: Magnifica deniq[ue] Rector  
tissima Decanatus Academici officia, Recto  
duabus, Decanatus tamen pluribus vicib[us]  
& honorem tam Illustris hujus Academiae, c  
simae Facultatis Philosophicae, auspiciatissimè  
*Extrema BEATI NOSTRI quod attinet & in specie morbi*  
*mum, ultra mensē jam est, ubi febre continua lenta cum*  
*riodo erratica recurrente corripiebatur, cui capitis dolores a*  
*& fere consueti jam magis intensi jungebantur. Huic m*  
*symptomatibus etiam cum successu occurrebatur ex meo cont*  
*ptimis & necessariis, ut non tantum remissionis notabilis i*  
*derent, sed & in intermittentem mutari videretur. Ast cu*  
*stantia id fieret, iterumq[ue] ad pristinam recurreret indolem,*  
*de infelici morbi eventu excitabat. Hoc non obstante omni*  
*râ pertinaci huic febre, vires Egri sensim depascenti, ibatur ob*  
*niret, ut ego ad agram quandam ab Urbe nostra ad aliquot mi*  
*evocarer, cujus cura subducere me non poteram, interim au*  
*exacerbatione se manifestans febris novis prae cordiorum anx*  
*angeret, me absente quoq[ue] vocabant consilia Viri Praenobilissim*  
*Experientissimi, HABERMANNI, Medicinae Doctoris*  
*Poliatri Celeberrimi, Amici, Fautoris ac Collegae mei Honorati*  
*tum me absente omnem adhibuit in medendo diligentiam sed*  
*reditu communicatis consiliis curam Egri Nostri suscipien*  
*medendo diligentia institimus. Et quamquam ab adhibitis op*  
*nibus febris exacerbatio erratica quidem, ast simul pertinax, c*  
*tur, non tamen ejus tanta fides erat, sed tarditatem brevem gr*  
*sabat longiori, eaq[ue] tali, ut continua huic lenta febre continuat*  
*bilis partium atrophia & faciei ad hippocraticam faciem fest*  
*jungeretur, quam sic brevi mors excipiebat, secuta die 16. Oct.*  
*& suspiria adstantium. Quanto luctu & quantâ animi trist*  
*sua Conjugis prohi[n]e nunc Vidua, ea facta sit, & mihi & Cognat*  
*aliis Amicis sat cognitum. Nec mirum, cum singulari*  
*concordia unitum conjugium non sine acerbis*

rum doloribus dissolvi poterat. Hinc tantò durius quidem jam Viduæ Mœstissimæ præfens divortium est, & dum sui Domini acerbissimâ jacturâ jam mactatur, facillè judicatu est, quam miserè ipsi abeat tempus, dum cogitationibus mœstis, suspiriis numerosis & querelis continuis teritur, ubi lachrymarum prandia & cœnæ & cubile singultuum se mutuo excipiunt; hinc nullus dubito, quin Mœstissima cuperet diem illum nunquam candidum mortalibus oriri, quo sua lux, sua vita, suum solatium occidit. Ast quò versus fieret mœror? Et, quid ex mœrore enata desideria Mœstissimæ? Si quæ, omnibus fata non flectuntur, nec possunt mutari, non nisi id obtinetur, quod ex mutuo mortale & in conjugio nascatur, conjugalis, & aliter solvatur non potest. Cogitandum est, quomodo omnes simus Dei deus, ut non repetat, cum libet. Mœstissima conditio & terminus est oblectandum, ut non patientiâ & animâ severitate (si concordia acquiescet, optime communi Viduarum Patris dedit patrocini sui certitudinem, nempe in verbo suo de eodem se se explicat, ut commendata sit, sed & quod Beatus Maritus, secundum animam Deo Creatore suo & Christo Servatore propius fruatur. Hæc solatia, quæ Mœstissimæ Viduæ sufficio, dabunt, ut fractum mœrore & gemitu frequentis nimis deductum Pectus validissime sibi munire possit, & munimentis circumire animum, ne dolor acerbus excessivus fiat, nec figat domicilium Summo Numini exosum. Hoc morbi hæctenus descripti, hoc mortis hucusq; cum solatio deductæ genere abiit THIELKIUS Noster Excellentissimus, digressus è vitâ illâ, qua nacti in breve tempus

Spiri-

